

dedicandus est mente, in nostro imo consecrandus est pectore? » Arnobius lib. 6. *adversus Gentes* in eodem sensu dicit: « Numquid Deum delubris aut templorum constructionibus honoramus? » Et Lactantius lib. 2. cap. 2: « Quid sibi templa? quid aræ volunt? quid denique ipsa simulacra, quæ aut mortuorum aut absentium simulacra sunt? »

Ex hisce ergo criminationibus Gentilium et Christianorum responsionibus solum colligere licet, tribus prioribus Ecclesiæ sæculis Christianos nulla habere templa more Gentilium. Minime vero inferri potest non habuisse ecclesias eo modo quo semper catholici habuerunt tempore persecutionis.

Consule Jo. A. Assemani *de Ecclesiis*. Manhart. *de Antiq. Christ.* Pellicia *de Christian. Eccles. politia* T. 1. lib. 2. Mamachi *De Costumi...* T. 1. Bingham lib. 8. Ciampini *de Sacris ædificiis a Const. constructis*.

(5. Cætera Ecclesiæ ornamenta ad peculiare articulos remittendo hic de luminariis et vasis pretiosis agam.

De luminis usu penes primitivæ ecclesiæ Christianos nobis est testis Epiphanius in epistola ad Jo. Hierosol. data: « Quum venissem in villam quæ dicitur Arablatha, vidissemque præteriens ibi lucernam ardentem, interrogassemque quis locus esset, didicissemque esse Ecclesiam. » Item Hieronymus adversus Vigilantium stylum acuens: « Cereos non clara luce accendimus, sicut frustra calumniaris, sed ut noctis tenebras hoc solatio temperemus, et vigilemus ad lumen, ne cæci tecum dormiamus in tenebris.... Per totas Orientis Ecclesias quando legendum est Evangelium accenduntur luminaria jam sole rutilante, non utique ad

fugandas tenebras, sed ad signum lætitiæ. »

De Vasis aureis in Ecclesia nobis est auctor, qui dicit: Laurentius dispersit, deditque pauperibus vasorum aureorum thesauros, ne ad tyranni manus pervenirent. Nobis est auctor Prudentius qui canit per ea tempora auro libare antistites, auroque nocturnis sacris adstare fixos cereos. Et apud Theod. lib. 5. cap. 11. Julianus Apostata exclamat Ecclesiæ Antiochenæ videns thesauros: « Quam pretiosis vasis filio Mariæ ministratur! » Gregorius Turonensis testatur pretiosissimam suppellectilem vasorum aureorum inventam fuisse in arenariis persecutionum tempore obstructis, deinde apertis, in quibus Christiani sacra peragere conventusque habere consueverant. Lucianus apostata et religionis omnis illusor in Ecclesiis Christianorum laquearia auro fulgentia se vidisse testatur. Paulinus lib. 8. *Epist.* 2. Ecclesiarum januas, ebore et argento interductas describit; altaria gemmis ornata commemorat. In mysteriis sacris vasis gemmis coronatis usus est Basilius Magnus, uti ex Amphiloquio in ejus vita accepimus. Scribit Cedrenus Justinianum Imperatorem mensam altaris fieri curavisse, in qua omnia metallorum genera, omnes gemmarum species, omneque lignum pretiosum includebantur. De tempore recentiori nil dicam, allata documenta sufficienter demonstrant antiquissimum usum tum luminarium cum etiam vasorum pretiosorum penes primitivæ Ecclesiæ Christianos, etiam illis temporibus quibus Christiani circuibant in melotis, in pelilibus caprinis, egentes, angustiati, afflicti, in solitudinibus errantes, in montibus et speluncis, et in cavernis terræ.

#### EDICTA LAICALIA.

##### ARTICULUS UNICUS EX EDITIONE BARBIELLINIANA.

###### SUMMARIUM.

1. Edicta laicalia etiam ab Ecclesiasticis condi possunt. — 2. 3. Quid si ab Ecclesiasticis condantur.

(1. Edicta laicalia non modo a laicis, sed etiam ab Ecclesiasticis personis possunt condi. Quoad edicta a laicis personis promulgata conveniunt omnes, Ecclesiasticos iisdem non subesse. Cap. *Non minus*, de immunitate Ecclesiarum: « Non minus pro peccato illorum, qui faciunt, quam pro illorum detrimento, qui sustinent, grave nimis esse dignoscitur, quod in diversis mundi partibus Consules Civitatum et Rectores, necnon et alii, qui potestatem habere videntur tot onera frequenter imponunt Ecclesiasticis, ut inferioris conditionis factum sub eis Sacerdotium videatur, quam sub Pharaone fuerit, qui legis divinæ notitiam non habebat.... Quocirca sub anathematis restrictione fieri de cætero talia prohibemus, nisi Episcopus, et Clerum tantam necessitatem, vel utilitatem aspexerint, ut absque ulla exactione ad relevandas communes utilitates, vel necessitates, ubi laicorum non suppetunt facultates subsidia per Ecclesias existiment conferenda. Si autem Consules, aut alii de cætero

— 6. Distinctio inter Edicta *Prohibitiva* et *Privilegiativa*. 7. 10. Quid si hujusmodi Edicta circa SS. Canonum observantiam versentur. — 11. 14. Quid si ab Ecclesiasticis etiam debeant amplecti.

ista commiserint et commoniti desistere noluerint, tam ipsi quam fautores eorum excommunicationi se noverint subjacere, nec communioni reddantur, donec satisfactionem fecerint competentem. » Idem ab Imperatoribus definitum legimus in leg. 12. § 1. et *Auth. Cassa* Cod. de *Sacrosanct. Eccles.* Rot. in recent. part. 9. decis. 412. n. 1. cor. Lancet. dec. 561. et dec. 1125. a n. 10. ad n. 17.

(2. Quid vero si non a laico, sed a persona Ecclesiastica hujusmodi edicta prodierint? Hoc casu distinguendum est inter jurisdictionem ordinariam et jurisdictionem delegatam. (3. Si auctor Edicti delegata tantum jurisdictione polleat, tunc Edictum Ecclesiasticas personas non afficit. Ut enim lex obliget, necessario requiritur, ut legislatoris jurisdictione subsit, qui legi obtemperare debet, quod non verificatur in Ecclesiasticis respectu legislatorum Ecclesiasticorum delegatam tantum jurisdictionem habentium. (4. Si vero legislator Ecclesiasticus ordinaria

munitus sit jurisdictione, tunc jure obligat subditos. (5. Ideoque in his casibus inspicendum non est, an edicta ex justa et legitima causa procedant, sed an ex persona habente jurisdictionem in personam ecclesiasticam, alias ex defectu jurisdictionis numquam executionem merentur, ut distinguit Panormit. in cap. *Ecclesia Sanctæ Mariæ* de constit. n. 4. et sub num. 23, vers. *Unde nullo modo*. Rot. in Nuper. tom. 6, decis. 280, num. 26 et 27. cor. Crisp. dec. 221, num. 6. (6. Inopportuna etiam non est distinctio inter edicta *prohibitiva*, et *privilegiativa*. *Prohibitiva* a jurisdictionem non habentibus emissa, indistincte Ecclesiasticos numquam ligant, secus vero interdum *Privilegiativa Gramatic.* decis. 100. num. 16. Sperell. *decis. for. Eccles.* 12. num. 29. junct. num. 32, et seq. Pignatell. tom. 3, consult. 59. a num. 18. ad fin. Rot. cor. Falconer. tit. *de Vita et honestate Cleric.* dec. 2, num. 22. (7. Quod si edicta hujusmodi circa Sacrorum Canonum observantiam versentur, tunc Sacra Congregatio Immunitatis solet ordinariis injungere, non ut edicta approbet, sed ut novam super eadem controversia legem condant, ut observatum legitur in una Tarantina 12 Decembris 1651. quam enuntiat, Fatollil. in *praxi Immunit. Eccles.* part. 5, tract. 5, sect. 154. num. 8.

(8. Nec obstat, quod Ecclesiasticus sit auctor edicti. Ubi enim non uti Ecclesiasticus, sed uti princeps secularis legem constituit, et jurisdictione delegata tantum potitur, numquam potest Ecclesiasticos ad observantiam adigere, in quos soli ordinarii jurisdictionem ordinariam exercent. Fatollil. in *praxi Immunit. Eccles.* p. 5, tract. 5, sect. 133. n. 8. Rot. cor. Falconer. l. c. et cor. Crisp. decis. 352. n. 8, et seq. et ita de Cardinali Legato Ravennatensi definivit eadem Sacra Immunitatis Congregatio cor. Scotto 27 Martii 1696. et de Legato Ferrar. aliam idem Fatollil. loc. c. sect. 53, num. 1. affert Sac. Congregat. Immunit. re-

#### EDUCANDÆ.

*Educandarum puellarum admissio in monasterium fieri nequit sine apostolica licentia, et ordinariarum examine.* Bened. XIV, tom. 2, constit. 26, incip. Per binas.  
*Pro matrimonio et sepultura educandarum:* Vide verb. *Matrimonium*, art. 2, n. 115, ad 121 alia ad rem; vide verb. *Monialis*, art. 1, num. 1, ad 63.

#### EJICERE, EJECTI A RELIGIONE.

###### SUMMARIUM.

1. Religiosi professi vere incorrigibiles possunt licite ejici a Religione. — 2. Afferuntur ad hoc Decreta Sac. Congreg. Concil. Urbani VIII. jussu edita de Regularibus Apostatis et Ejectis. — 3. Adducitur Decretum ejusdem Sacre Congregationis Innocentii XII. jussu editum moderatorium, et Incorrigibilium respective innovatorium. — 4. Ad expulsionem incorrigibilium quinque prærequiruntur, et enumerantur. — 5. Recidivatio in ordine ad expulsionem non requiritur quod fiat in idem crimen specie, sed sufficit quod fiat in alia delicta, quamvis specie diversa. — 6. Monitio, seu punitio debet esse trina. — 7. Processus debet esse instructus juxta cujusque Religionis stylum, et constitutiones, et per ipsum debent plene probari causæ expulsionis. — 8. Carceratio formalis licet alias debuisset per integrum annum,

solutionem in una Ferrar. 18 Octobris 1633. lib. 2, decret. Paul. Secret. (9. Neque satis est, ut edicti auctor sit Ecclesiasticus, et ordinaria jurisdictione præditus, sed insuper requiritur, ut personæ, a quibus Edicti observantia exigitur, sint ejusdem jurisdictioni subjectæ Rot. cor. Falconer. tit. *de Offic. Ordinar.* decis. 5, n. 2, et num. 14. (10. Quamvis enim Episcopus ordinariam in Ecclesiasticos omnes habeat jurisdictionem, sibi tamen arrogare non valet jus, ut ipsius edicta extra propriam Diocesim observentur. Piton. *Controv. Patronor.*, allegat. 100, num. 592.

(11. Esse tamen potest, ut in aliquibus casibus edicta etiam laicorum ab Ecclesiasticis debeant amplecti, ut si publicam respiciant utilitatem, dummodo a Summo Pontifice sint confirmata. (12. Cum enim præcipue Ecclesiastici publicæ teneantur consulere utilitati, et Summus Pontifex in omnes Ecclesiasticos jurisdictionem habeat, ita æquum est, ut et ipsi hujusmodi edicta servant, Summusque Pontifex ad id jure potest eosdem adigere. Sperell. *dec. Jur. Eccl.* 13, n. 14. Oter. *de Pascuis*. quæst. 8, n. 7, et seq. Rot. cor. Emerix jun. decis. 1154. num. 1. et decis. 1222. num. 1 et 5. (13. Præsertim si per exemptionem Ecclesiasticorum inutilia prorsus redderentur, et ita facilis omnibus præberetur occasio eludendi edicti, et publica vota, bonumque fraudandi. Gratian. *Discept. forens.* 80, n. 1. Card. de Luc. *de Jurisdic.* disc. 66. per tot. præsertim num. 6. (14. Quin unius dissensus valeat talium edictorum observantiam impedire, adeo ut si quis vectigalium defraudator repertus sit, coram Judice Ecclesiastico conveniendus, et pœna ab ipso expensa non Fisco, sed Locis Piis applicatur. Rot. cor. Emerix jun. dict. decis. 1154. num. 4, et 21.

Reliqua, vid. in verb. *Fruentum* et verb. *Lex*, art. 3, num. 14, ad 78.

lendus, sed adhuc post carcerem probatorium debet durare, et apparere incorrigibilis pro expulsionem.

17. Quod adhuc daret incorrigibilis post carcerem probatorium duobus modis cognosci potest, signis scilicet, vel factis. — 18. Non adest obligatio ipsum expellendi, quamvis incorrigibilis in expressa sua obstinatione persistat, sed facultativum est Superiori, seu Judici, vel in carcere adhuc eum detinere, vel ad expulsionem procedere. — 19. Facultas expellendi incorrigibilis in Decretis jussu Urban. VIII. editis erat restricta ad solum Generalem cum consilio et assensu sex Patrum ex gravioribus Religionis. — 20. In Decretis autem editis jussu Innocentii XII. extenditur ad provinciales accedente approbatione Generalis. — 21. Non potest tamen hæc facultas expellendi alteri delegari, nec a Generali, nec a Provinciali. — 22. Electio sex graviorum Patrum potest modo fieri in Capitulo, vel Congregatione Provinciali, et debet per generalem confirmari. — 23. Talis sufficit quod fiat per vota totius Definitorii. — 24. Si nec a Religione, et nec a Provincia hujusmodi sex Patres fuerint electi in Capitulo, seu Congregatione, debet haberi recursus ad Sac. Congr. Concilii in singulis casibus. — 25. Si tamen fuerint electi a Religione in Capitulo, vel Congr. Generali pro toto Ordine, et non fuerint electi in aliqua Provincia, poterit ipsa Provincia uti electis pro toto Ordine. — 26. Sic si aliquis electus in provincia decedat, poterit suppleri defectus substituendo aliquem ex his, qui fuerunt electi pro toto Ordine. — 27. Sex Patres graviores eligendi, debent intelligi graviores gravitate virtutis, et non graviores gravitate molis, aut præcise gravitate ætatis, vel graduationis. — 28. Pro ferenda sententia definitiva expulsionis non requiritur quod omnes sex Patres concordent, sed sufficit quod major pars conveniat. — 29. Si vota sint paria, non potest definitive procedi ad ejectionem. — 30. Nec in casu paritatis votorum potest Generalis, vel Provincialis votum decisivum præbere. — 31. Sententia definitiva expulsionis non potest ferri nisi prius instructo secundum cujusque Religionis stylum et Constitutiones processu, et plene probatis causis expulsionis ad Sacrorum Canonum præscriptum. — 32. Constructo processu et copia exhibitæ reo, etc., debet provincialis vota sex Patrum cum Summario processu, et defensionum notitia, cum responsione ad ipsos facta ab Advocato Fisci Religionis, transmitti ad Generalem, a quo habita approbatione, poterit, si reum expellendum judicaverit, ad definitivam sententiam expulsionis procedere. — 33. Lata sententia debet intimari reo, qui si intra debitum tempus ad S. Sedem, et Sacram Congregationem Concilii appellaverit, ad eam devolvitur causa, ipso interim in carceribus persistente. — 34. Tempus ad appellationem concessum sunt decem dies numerandi a die latæ, et intimatæ sententiæ. — 35. Si vero non appellaverit, debet transactis ipsis decem diebus ab intimatæ sententiæ e carcere educi, et coram Religiosorum communitate corona Clericali, et Regulari privari, et per superiorem forma habitus Regulari exui, etc. — 36. Sententia expulsionis est statim significanda a Superiore Ordinario Loci. — 37. Adducitur formula, secundum quam est significanda. — 38. Ordinarius nequit sententiam expulsionis examinare, et inquirere an Regularibus sit juste, vel injuste ejectus. — 39. Traditur formula consignandi Ejecto litteras expulsionis, si ipsa a Superiore petat. — 40. Ejectus debet se præsentare illi Ordinario, in cujus Diocesi est Conventus a quo ejicitur, et tenetur incedere in habitu Clericali. — 41. Nequit tamen Ejectus nec in suscepto Ordine ministrare, nec ad alios ascendere. — 42. Et si exerceat Ordines quos habet, fit irregularis. — 43. Ejectus nedom nequit exercere ministerium Ordinum, sed neque officium concionandi, et docendi. — 44. Expulsus laborat infamia juris, et facti. — 45. Juste Ejectus non potest pretendere alimenta

a Religione. — 46. Sic nec Religiosi Societatis Jesu, qui post vota simplicia ante solemnem Professionem a dicta Societate dimittuntur, nulla ab eadem Societate prætere alimta, aut congruam sustentationem, licet dum in ea viverent, titulo Religiosæ paupertatis, ad SS. Ord. promoti fuerint. — 47. Regularis injuste ejectus potest compellere Monasterium ad alimenta futura, et etiam præterita, si illa mutuo accepit. — 48. Sic etiam lite pendente pro validitate expulsionis, Ejectus debet ali ex bonis Monasterii, donec sit lata sententia de justitia, vel injustitia illius. — 49. Ejecti stantes in sæculo tenentur ad vota essentialia Religionis. — 50. Advertendum tamen est, quod licet in Ejectis perseveraret plena obligatio castitatis, obligatio tamen Paupertatis, et obedientiæ suspenditur quoad executionem, et observantiam multorum juxta capacitatem sui status. — 51. Similiter obligatio aliorum votorum supra tria essentialia in aliquibus Religionibus emitti solitorum, aliorumque Regularium observantiarum proprii Instituti etiam sub mortali præceptorum suspenditur quoad illa, quæ pugnant cum statu, in quo reperiuntur, et perseverat quoad ea, quæ compatiuntur cum eorum statu. — 52. Etiam contraria opinio quod hæc est probabilis. — 53. Ejectus juste tenetur se corrigere, et humiliter petere, ut iterum admittatur. — 54. Juste Ejectus potest cogere Religionem, ut se iterum recipiat, dummodo saltem ex litteris testimonialibus Ordinarii constet esse plene emendatum. — 55. Neque in hoc admitti debet excusatio aliqua post declarationem Sac. Congr. Conc. sub Urbano VIII. editam. — 56. Ejectus rediens ad Religionem non tenetur de novo Novitiatum obire, et professionem emitte. — 57. Ejectus rediens præscindendo a statutis, et Constitutionibus uniuscujusque Religionis non est statim restituendus ad gradus, et præcedentias. — 58. Secundum Donatum et alios, Ejecti redeuntes numquam debent restitui ad eundem locum, gradus et honores, quibus antea fruebantur. — 59. Ejectus a Religione ob crimina falsa, quæ ipse sibi ad hunc finem imposuit, non est securus in conscientia extra illam, sed est verus Apostata. — 60. Et hoc etiam est dicendum de sic expulsis post Vota biennii a Societate Jesu. — 61. Ejectus juste, si emendatus ad Claustra rediens, non admittatur, potest tuta conscientia remanere in sæculo. — 62. Ejectus in sæculo remanens, si in Ordinibus etiam Minoribus constitutus sit, tenetur incedere in habitu Clericali. — 63. Laici seu Conversi expulsi an teneantur incedere in habitu Clericali. — 64. Ejectus deponens habitum Clericalem animo numquam reassumendi habitum, neque Clericalem neque Regularem, immo sæculari militiæ se adscribens, si sit Clericus, est vere Apostata. — 65. Quid si sit Laicus, seu Conversus; ad n. 66. — 67. Ejectus acquirit adhuc bona Monasterio, vel Religioni unde est ejectus. — 68. Acquirunt tamen ejectus usum facti, et jus disponendi de acquisitis prout ejus status exigit, et indiget quoad vitæ necessaria. — 69. Non potest tamen Ejectus facere expensas magnas superfluas, nec Donationes illicitas, aut rerum magni valoris; et accipientes ab illo, tenentur ad restitutionem. — 70. Ejectus non potest testari in bonis acquisitis in sæculo. — 71. Si Ejectus decedat extra Claustra, ex Decreto Gregorii XIII. omnia bona sua fiunt Cameræ Apostolicæ. — 72. Hoc Decretum ex Passerino non est intelligendum de omnibus bonis Religiosorum, sed de illis, quæ acquiruntur extra Claustra. — 73. Hinc a fortiori manent Religioni, et illi debentur bona illorum, qui casu fortuito decedunt extra Claustra. — 74. Ejectus si extra Claustra decedat est sepeliendus in sepulcro a se electo; si vero decedat nulla facta electione, sepeliendus est in Ecclesia Parochiali, et non in Regulari. — 75. 76. Quæ de Ejectis in genere attulit Auctor etiam respiciunt Ejectos a Societ. Jesu post emissa vota solemnia, non vero post emissa vota simplicia.

1. Religiosi professi vere incorrigibiles possunt, servatis servandis, licite ejici a Religione cap. *Impudicos* 11. et cap. *Si quis sacro* 17. caus. 27. q. 1. cap. *Cum in Ecclesiis* 10. de Majorit. et Obed. cap. *Cum non ab homine* 10. de Judiciis; cap. *Ne religiosi* 24. de Regularibus; cap. *Cum ad Monasterium* 6. et cap. *Ea quæ* 8. de statu Monachorum, cap. *Relatum* 7. Ne Clerici, vel Monachi, cap. *Ut forma* 35. et cap. *Contingit* 45. de Sentent. excommunic. Et habetur expresse in Decretis de Regularibus Apostatis et Ejectis a Sacra Congr. Conc. jussu Urbani VIII. editis, et de mandato Innoc. XII. moderatis et innovatis, quæ cum sint regula, et norma observanda circa ipsos incorrigibiles ejiciendos, et ejectos, hic ad litteram subnectuntur.

2. Sacra Congreg. Cardinalium Concilii Trident. interpretum Regularium Ejectorum, et fugitivorum statui consulere, illorumque scandala submovere, et succrescentem numerum frangere operæ pretium existimans, auditis Religionum Superioribus, reque diligentissime perpensa, communicato etiam consilio cum S. D. N. Urbano VIII. atque ex peculiari Sanctiatis suæ facultate, infrascripta decreta edidit.

§ 1. Ac primo, ut infecta semina, e quibus pravi ejusmodi fructus potissimum prodeunt, deinceps ne serantur in vinea Domini, censuit esse innovandas, et Sanctissimi auctoritate innovat Constitutiones et Decreta generalia S. M. Clementis VIII ad Regularium reformationem, ac Novitiorum receptionem, professionem atque institutionem spectantia; districtèque præcepit Generalibus, atque aliis omnibus Ordinum Superioribus, ut illa exacte observent, atque ut observentur efficiant, sub pœnis statutis in iisdem Constitutionibus. A quibus tamen excipiendum censuit caput illud, quo decernitur, ne in Conventibus, seu Monasteriis ad Novitios recipiendos hactenus designatis et approbatis, seu in posterum designandis et approbandis, Novitii ad habitum ullatenus recipi possint, nisi prius a Cong. Reformationis Apostolicæ, vel a propriis locorum Ordinarii expresse, et nominatim approbati fuerint, a cujus quidem Decreti observatione Sacra Congr. justis de causis censuit Regulares esse absolvendos, prout auctoritate Sanctissimi Domini Nostri absolvit, atque eximit.

§ 2. Deinde ut apostatandi opportunitas Regularibus præripiatur, statuit, ut de cætero nullus permittatur ad arctiorem Religionem transire, nisi prius Superiori legitime constituerit, eam Religionem paratam esse illum recipere, qui licentiam petit; tuncque Regularis recta se transferat ad arctiorem; quod ut re ipsa adimpleatur, idem Superior omni studio ac diligentia invigilet.

§ 3. Rursus statuit, ut fugitivi et apostatæ sive habitum Regularem deferant, sive non, possint, ac debeant ab Episcopo loci, ubi moram trahunt, in carceres conjici, ac Superioribus consignari secundum Regularia instituta puniendi, utque ipsi quoque Superiores teneantur eos perquirere, ad Religionem reducere, atque efficere ut apprehendantur,

salva tamen in omnibus facultate Ordinarii locorum attributa ex Decreto Concilii cap. 3. sess. 6. Quod si apostatæ hujusmodi, citra montes infra quatuor, ultra montes vero infra octo menses a præsentis Decreti publicatione inchoandos, sua sponte ad suam quisque Religionem redierit, tunc pœnarum omnium ipsis propter apostasiam inflictarum, aut infligendarum remissionem, atque impunitatem assequantur; ita tamen, ut debeant a Superiore absolutionem humiliter petere, et coram eo culpam fateri, atque emendationem polliceri; Superior vero e contra benigne illos teneatur excipere, ab hujusmodi pœnis absolvere, et paterna charitate complecti.

§ 4. Ad hæc, ut in posterum e Religionibus nullus legitime professus ejici possit nisi sit vere incorrigibilis; vere autem incorrigibilis minime censeatur nisi non solum concurrant ea omnia, quæ ad hoc ex juris communis dispositione requiruntur, sublatis hæc in parte statutis et constitutionibus cujusque Religionis et Ordinis etiam a Sede Apostolica approbatis et confirmatis; verum etiam, unius anni spatio, in jejunio, et pœnitentiâ probetur in carceribus, proindeque unaquæque Religio privatos habeat carceres, in qualibet saltem Provincia. Elapso autem anno, si nihilominus non resipuerit, sed animo indurato in sua perversa perseveraverit, ne contagione pestifera plurimos perdat, tamquam pecus morbida, ac membrum putre, ejici tandem possit, sed ab ipsomet Generali tantum de consilio, et assensu sex Patrum ex gravioribus Religionis eligendis in singulis Capitulis, vel Congregationibus generalibus; tumque non nisi instructo secundum eorum stylum et constitutiones processu, et plene probatis causis expulsionis ad Sacrorum Canonum præscriptum. Interea tamen usque ad primum Generale Capitulum, seu Congregationem proxime celebrandam, si quempiam ex justis, et necessariis causis expellere oportebit, ejectio fieri possit a Generali cum consilio et assensu sex Patrum, ut supra, quos idemmet Generalis eligere debeat infra quatuor menses a præsentis Decreti publicatione, servata tamen in reliquis forma superius præscripta. Sic vero ejecti, quamdiu non redierint ad Religionem, in habitu Clericali incedant, atque Ordinarii loci jurisdictioni et obedientiæ subsint; proindeque Generalis illico expulsionis sententiam eidem Ordinario notificare teneatur. Cæterum Sacra Congr. Religionum Superiores serio admonet, ac per Jesu Christi viscera obtestatur, ut memores paternæ Charitatis et mansuetudinis, quam profitentur, nihil intentatum relinquant, ut lucrentur animas Fratrum suorum fere in profundum malorum delapsas, antequam gravissimum atque extremum expulsionis remedium experiantur; idque eo magis, quod subditorum sanguinem, qui ex malo negligentium, et sui officii inmemorum Prælatorum regimine peribunt, D. N. J. Christus in supremo Dei judicio de eorumdem Prælatorum manibus sit requisiturus.

§ 5. Præterea statuit, ut iidem Superiores nemini ex Religiosis expulsis litteras testimoniales concedant, illos ad sedem Apostolicam rejicientes, vel jubentes aliam ingredi Religionem.

§ 6. Item ut ejecti extra Religionem degentes sint perpetuo suspensi ab exercitio Ordinum, sublata Ordinariis locorum facultate dictam suspensionem relaxandi, aut moderandi.

§ 7. Ac postremo censuit esse innovandam, et Suae Beatitudinis auctoritate innovatam Constitut. fel. record. Gregorii IX. relatum in cap. fin. extr. de Reg. Ac propterea declarat, eam Constitut. in iis quoque vindicare sibi locum, servandamque esse, qui juste, definitiveque, ac juris ordine servato, expulsus fuerint, dummodo tamen in expulsis hujusmodi subsit spes evidens emendationis, ex litteris saltem testimonialibus Ordinarii, cujus conscientiam in his litteris concedendis Sacra Congregatio serio oneravit.

§ 8. Ne qua vero difficultas in superscriptis decretis, et ordinationibus exequendis suboriatur, Sacra Congreg. S. D. N. annuente atque approbante, universis Generalibus, Provincialibus, Commissariis, Ministris, Præsidentibus, Abbatibus, Prioribus, Præpositis, Guardianis, Vicariis, et quibuscumque aliis Superioribus quorumcumque Ordinum, vel Congregat. Monasteriorum, Conventuum, Collegiorum, Domorum ac locorum Regularium, ubique locorum existentium injungit, serioque mandat, ut illa diligenter observent, atque observari procurent in omnibus Cœnobiiis ac Monasteriis, Collegiis ac Domibus quorumcumque Monachorum ac Regularium ubique locorum existentibus, efficiantque, ut tam decreta supradicta fel. record. Clementis VIII. quam præsentis ordinationes in singulis ejusmodi locis bis saltem in anno legantur in publica mensa.

§ 9. Si quis vero ipsorum adversus ea, quæ superius præscripta sunt, vel eorum aliquid quoquo modo facere, vel moliri præsumserit, ipso facto penam incurrat privationis omnium officiorum, quæ tunc obtinebit, vocisque activæ, passivæ, ac perpetuæ inhabilitatis ad illa in posterum obtinenda, poenæque hujusmodi sit Sanctitati Suae, ac Sedi Apostolicæ reservata, iisdem Superioribus etiam Generalibus, et Protectoribus illam moderandi, seu relaxandi potestate penitus interdicta, et nihilominus sit irritum, et inane quidquid secus a quoquam actum extiterit.

§ 10. Non obstantibus Constitutionibus, et ordinationibus Apostolicis, in favorem quorumcumque personarum atque Ordinum tam Mendicantium quam non Mendicantium, Congregationum, Monasteriorum, Conventuum, Domorum ac Locorum Regularium quorumcumque, nec non illorum etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis, statutis, vel consuetudinibus, etiam immemorabilibus, exemptionibus quoque, indultis et privilegiis etiam in corpore juris clausis, aut ex causa, vel titulo oneroso, vel in limine foundationis

concessis, etiam Mari magno, seu Bulla aurea, aut alias nuncupatis sub quibuscumque tenoribus et formis, et cum quibusvis etiam derogatoriis derogatoriis, aliisque efficacioribus, et insolitis clausulis, nec non irritantibus decretis etiam motu proprio, et ex certa scientia, ac de Apostolicæ potestatis plenitudine, aut alias quomodolibet etiam per viam communicationis, seu extensionis concessis, et iteratis vicibus approbatis, et innovatis, etiamsi pro illorum sufficienti derogatione de illis, eorumque totis tenoribus et formis, specialis et individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes, mentio, seu quævis alia expressio habenda, aut aliqua alia exquisita forma servanda esset, tenores hujusmodi, ac si de verbo ad verbum, nihil penitus omisso, et forma in illis tradita observata, inserti forent, præsentibus pro expressis habentes, quibus, quoad ea quæ supradictis quomodolibet adversantur, illis alias in suo robore permansuris specialiter, et expresse Sanctitatis Suae auctoritate derogat, cæterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romæ die 21 Septembris 1624.

COSMUS CARD. DE TORRES.

Prosper Fagnanus Sacræ Congr. Secr.

(3. Decretum ejusdem Sacræ Congregationis Innoc. XII. jussu editum moderatorum, et incorrigibilium respective innovatorum.

Instantibus Procuratoribus Generalibus Religiosorum Ordinum pro moderatione Decretorum de Apostatis, et ejectis, editorum a Sacra Congregatione Conc. et Sanctæ mem. Urbano Papa VIII, anno 1624, confirmatorum, ut facilius modus incorrigibiles ejiciendi præscribatur, Sacra Congregatio a Sanctissimo Domino Nostro Innocentio Papa XII, super præmissis particulariter deputata, Eminentissimorum S. R. E. Cardinalium Carpinei, Casanate, Mariscotti, Norfolkia, de Lauræa, de Aguirre et Colloredi, perpensis eorumdem Procuratorum Generalium votis, ne consortio morbidarum pecudum cæteræ corrumpantur, et remedia hucusque ad sanitatem oblata male affectis officiant magis quam prosint, maturo examine, zelo regularis disciplinæ conservandæ censuit, statuit, et auctoritate ejusdem Sanctiss. Domini Nostri sibi specialiter attributa, hæc in posterum servanda decrevit:

1. Quod firmis, ac in suo robore semper manentibus prædictis decretis de Apostatis etiam secundum eam partem, ubi agitur de ejectis, et ejiciendis, tamquam Sacris Canonibus, et communiori SS. Patrum menti conformibus quoad ejectos, eandem servantur, quæ in alio simili decreto hac præsentis die emanato de Apostatis, et Fugitivis statuta sunt et indulta; quodque ad præscriptam legem sanctæ mem. Gregor. IX, in cap. final. de reg. annuatim fugitivi requirantur, et respective cogantur ad claustra reverti.

2. Quod annus integer, qui in prædictis Decretis anni 1624, præscribitur in pœnitentia, et jejunio ad ejiciendos incorrigibiles,

ad sex tantum menses continuos in posterum coarctetur et restringatur.

3. Quod facultas Generalibus Ordinibus de consilio, et assensu sex ex gravioribus Religiosis in singulis Capitulis, et Congregat. Generalibus ad causas ejiciendorum eligendis attributa, extendatur etiam ad quoscumque Provinciales, qui electis pariter in Congregationibus Provincialibus sex gravioribus de propria provincia Religiosis, a Generali confirmandis, de illorum consilio et assensu causas hujusmodi cognoscant, et ad effectum ejiciendi incorrigibiles suæ Provinciæ, et ejectionem pronuntiandi, accedente approbatione Generalis definiant, salva semper Sanctæ Sedis, et Sacræ Congr. in causa recursus, et appellationis auctoritate.

4. Quod in posterum processus conficiatur juxta Regulas, Constitutiones, Ordinationes, et Stylum cujusque Ordinis et Religionis, donec aliter fuerit a Sac. Congr. provisum.

5. At quia nimia sine delectu facilitas recipiendi quoscumque Religionis ingressum petentes, et a Religione forsitan alienos, duram satis tractu temporis necessitatem parit eosdem e Claustris ejiciendi, ne hujusmodi semina, quæ a principio ad fructum faciendum cadunt in terram bonam, paulatim contaminata inordinatis moribus usque ad incorrigibilitatem succrescant in paleas, eadem Sac. Congreg. annuente Sanctissimo Domino nostro sub interminatione Divini iudicii, nec non privationis vocis activæ et passivæ, ac dignitatum et officiorum obtentorum, cum inhabilitate ad eadem in posterum obtinenda, quibuscumque prædictorum Ordinum Superioribus districte præcipit et mandat, omnia, et singula Decreta San. mem. Clementis VIII, registrata post Decretum san. mem. Urbani VIII, de Apostatis, et ejectis incipient. *Regularis, Sanctissimus, et Nullus*, una cum aliis subsequentibus Decretis, provisionibus, Ordinationibus et respective moderationibus bis in anno legi, eadem ad unguem servari, poenas in eisdem contentas innovari, et Capitibus Ordinum intimari, ne hujusmodi Decretorum transgressores, qui in lege gloriantur, per prævaricationem legis Deum inhonorent, et ne militiæ Christi adscripti tam de facili fiant desertores ac profugi.

Datum Romæ die 24. Jul. 1694.

C. CARD. MARISCOTTUS PRO-PRÆFECTUS.

(4. Ex quibus Decretis colligitur quinque prærequiri ad expulsionem incorrigibilis. Primum est recidivatio expellendi in grave crimen. Secundum est monitio, seu poena reiterata, Reo incussa ad ejus correctionem. Tertium est processus institutus juxta Ordinum Constitutiones in ordine ad expulsionem. Quartum est formalis carceratio expellendi in jejunio et pœnitentia. (5. Et quintum est incorrigibilitas in eodem. Recidivatio in ordine ad expulsionem non requiritur quod fiat in idem crimen speciei, sed sufficit quod fiat in alia delicta quamvis speciei diversa. Unde si quis primo punitus de fornicatione, secundo de percussione, tertio de

furto, denuo delinquit alio crimine, videlicet proprietatis, Apostasiæ, et hujusmodi, potest ab Ordine ejici non minus, ac si ter de eodem specie delicto fuisset punitus; Navarr. in *Lucern. Reg. verb. Incorrigibilis*, Passerin. de *Statu homin.* tom. 3, quæst. 289, artic. 8, n. 563. Ricc. part. 4, decis. 102. Rodric. tom. 1, qu. 30, art. 14. Anton. a Spiritu S. consult. 74, num. 3. Portell. verb. *Ejicere* num. 2, et alii passim. (6. Monitio seu punitio debet esse trina; argum. cap. *Contingit* 45, de *Sentent. excomm.* ibi: « Tertio a te commonito, » cap. *Fa qua* 8, de *Statu Monachor.* Donat. *Praxis Reg.* tom. 1, tract. 8, de *Ejectis* qu. 10, num. 2. Portell. verb. *Ejicere* num. 1, § *secundo* nota Mathæucc. *Official. cur.* c. 25, n. 16. Ameno *Pract.* tit. 5, § 6, num. 26. (7. Processus debet esse instructus juxta cujusque Religionis Stylum et Constitutiones, et per ipsum debent plene probari causæ expulsionis, nempe quod Reus de delictis gravibus juxta jus commune, aut proprii ordinis constitutiones antea fuerit ter punitus, aut canonice, et judicialiter monitus, et his non obstantibus nihilo melior factus adhuc conversationem, et vitam relaxatam continuet sine ulla spe emendationis; cit. decret. Urban. VIII, § 4, et cit. decret. Innoc. XII, § 4, et communis Doctorum.

(8. Carceratio formalis licet ex cit. decret. Urb. VIII, § 4, debuisset continuare per annum integrum, ibi: « Unius anni spatium in jejunio, et pœnitentia probetur in carceribus, » ex cit. tamen decret. Innocent. XII, § 2, restringitur ad solos sex menses, ibi: « Quod annus integer, qui in prædictis decretis anni 1624, præscribitur in pœnitentia, et jejunio ad ejiciendos incorrigibiles, ad sex tantum menses continuos in posterum coarctetur et restringatur. » (9. Tempus carcerationis taxatum ad sex menses a Sacra Congr. Conc. in cit. decret. jussu Innoc. XII, edit. debet esse continuum et completum; sic habetur ex declaratione Sacræ Congreg. Concil. ad dubia proposita a Procuratore Generali Ordin. S. Mariæ de Mercede, ubi ad secundum dubium conceptum his verbis: « Secundo, an Regularis pluribus interpolatis vicibus pro reiteratis delictis in diversis temporibus commissis in carceribus detentus, possit uno carcerationis anno, ut supra, interpolate expleto, tamquam incorrigibilis a religione ejici, si post dictum annum carcerationis interpolatum, animo indurato in sua pertinacia perseveraverit, iterum delinquat? » sic præcise respondit die 21. Junii 1653 Sac. Congregat. Eminentissim. Cardinalium Concil. Tridentin. interpretum, omnibus mature perpensis... Ad secundum respondit: *Non sufficere annum carcerationis interpolate expletum, sed requiri spatium unius anni continuum et integrum.* Unde censendum est de carceratione ad sex menses ex Decretis ejusdem Sac. Congr. sub Innoc. XII restricta.

(10. Hinc si reus e carceribus intra tempus præfixum aufugiat, nequit incorrigibilis declarari et expelli, quia continua carceratio